

De matrimonio et familia

Conclusiones ad actionem spectantes:

A

In alio
reperitur
1. Laudat S. Synodus multiplicia studia et opera quae in societate hodierna eo tendunt, et ut iuniores plenius ad officia domesticae societatis humane christianeque implenda praeparentur, et ut coniuges atque parentes, in variis necessitatibus temporum nostrorum, efficacias iuventur; christifideles in his operibus opportune cooperentur.

2. Pari laude exornat societates, etiam communitates politicas quae curas suas multiplicant ut familiae, pro diverso polis numero, congruis vitae condicionibus fruantur; quae opera catholici in actione sua sociali specialiter sibi commendata habeant.

3 Omnes in scientiis biologicis, psychologicis, medicinalibus, socialibus peritos necnon idonea instituta S. Synodus invitatur ad investigationes scientificas et progressus technicos (ita), cooperantibus etiam theologis, moderandos et convenienter communicandos ut coniuges in difficilissimis saepe conscientiae conflictibus circa usum matrimonii honeste peragendum vere iuventur.

In alio
reperitur
4 II quibus in re oeconomica vel politica opus incumbit ordinandi emigrationes, summopere attendant ad domestici convictus iura et officia.

B

reperitur
1. Progressum socialem christifideles ita promoveant ut cuiusque coetus, pueris et puellis, nullo admissa discrimine, fundamentalis eruditio et idonea educatio tradi possit; imo ita satagant ut iuniores illi qui sagaci ingenio gaudent et firma voluntate donantur, mentis eminentiorem cultum animique ornamentum recipere valeant.

reperitur
2 Cum nostris diebus magni momenti sint, in educandis adolescentulis, incepta et instituta laboris, curent parentes, publicae potestates, bonis gignendis consociationum et collegiorum opificum moderatores, sodales, maiores natu praesertim, ut etiam laborandi rationes et condiciones exigentis physicae, familiaris, professionalis, socialis, moralis et religiosae educationis rite aptentur.

3 Ut mulieres plene et absque ullo detrimento dotes proprias personalitatis suae in vita sociali evolvere queant, necesse est congrua universalique institutione earum, indolis, aetati ac condicionibus, societatis progressui et temporum locorumque adiunctis accommodata.

4 Iuvenes e regionibus progredientibus libenter admittantur in scholis et Universitatibus, catholicis praesertim, regionum progressarum; ex animo invitentur coetibus christianae iuventutis et eis familiae quas illustrat christiana traditio, mensam et lares patefaciant; e regionibus vero progressis ultro iuvenes parati sint ad hoc ut in progredientibus, pro earum necessitatibus et invitatione, operas adiutrices praestent.